



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus**

**Engel, Ludwig**

**Salisburgi**

Cap. 9. De Obligatione Parochianorum observandi Jejunia & Festa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40922**

Conciones ejusdem audiat. Vix enim est, ut non habeatur filius contumax, qui toto anno Patrem non invisit Ovis erratica, quæ nunquam vocem proprii pastoris exaudit. Zyp. in Anal. Jur. Pont. in tit. de Parochiis sub n. 2.

CAPUT IX.  
De Obligatione Parochi & Parochianorum observandi Jejunia & Festa.

SUMMARIA.

1. Jejunium incidens in bacchanalia potest anticipari.
2. Quales cibi interdicti in jejunio.
3. De Refectione.
4. De tempore refectionis.
5. Causa excusantes à jejunio.
6. Hæreticorum fides ex contemptu jejunij suspecta, comparantur dissolutis monachis.
7. Præceptum de observatione Festorum duplex.
8. Quenam dicantur opera liberalia & quæ servilia.
9. In quibus casibus liceat in die festo opus servile facere.
10. Ut opus servile in festo licite fiat, requiritur consensus Episcopi vel saltem Parochi.
11. Festum incipit à media nocte, & durat usque ad mediam noctem.
12. Quæ cause excusent ab auditione Missæ in die festivo.
13. Dies festi non sunt agendi per luxum & comestiones.
14. Nul.

14. *Nulla insolita imagines, miracula, aut reli-  
quia inconsulto Episcopo recipienda.*

Quibus diebus jejunia servanda sint ex Ca-  
lendario satis apparet: nisi quòd Episco-  
pus ex causa jejunium transferre possit, ut si vi-  
gilia S. Matthiæ incidat in triduum Bacchana-  
lium, ubi pauci servarent jejunium, poterit id  
anticipari in sabbatho. *Laym. lib. 4. tract. 8. c. 3.  
in fin.* Consistit autem jejunium Ecclesiasti-  
cum in 3. nimirum † I. In delectu ciborum, ut  
abstineatur à carnibus: & quidem de jure Ca-  
nonum non tantum à carnibus, sed etiam lacti-  
cinijs, quæ trahunt sementinam originem, scil.  
caseo, lacte, ovis, abstinentum est. *c. denique. 6.  
v. par est. dist. 4.* quod tamen Germaniæ con-  
suetudo immutavit. Imò docent Gl. *in c. pres-  
byter. d. 82. § in cap. admonere. v. carnem 330  
q. 2* Host. *in sum. de observat. jejun. Sylv. v. je-  
junium n. 16.* cum concessione lactis & ovo-  
rum etiam lardi vel sagiminis usum concessum  
intelligi, cum formaliter non sit caro, nec videat-  
ur maior ratio in caseo v. g. quàm in sagimi-  
ne &c. verum in nostris partibus hætenus id  
non receptum est, nec facilè introducendum,  
ne paulatim in jejunijs leges licentiosius pecce-  
tur. Interim monet Paul. *Laym. d. l. c. 1.  
n. 5.* propter auctoritatem DD. ex causa ino-  
piæ vel alia facilius per Parochum concedi posse,  
ut v. g. loco butyri lardo vel sagimine uti liceat.

II. Requisitum est, ut in die una tantum  
refectio fiat. Sed Sylv. *d. l. n. 9.* circa hoc re-

fert diversas DD. opiniones, ex quibus plerique sentiunt, consuetudine potius universali Ecclesie, quàm jure aliquo scripto plures comestiones in die prohiberi. Hæc porrò consuetudo in plerisque locis ita temperata est, ut liceat in meridie prandium & quidem solito largius (dummodo adhuc intra fines temperantiæ) & sub vesperum modicam collatiunculam sumere, cujus collatiunculæ quantitas & qualitas, cum in jure determinata non sit, ex rationabili consuetudine consideratis locorum & personarum plus minusve cibi indigentium circumstantiis delumenda erit, ita ut potius quærat in quantitate & qualitate ciborum aliqualis naturæ sustentatio, quàm nutrimentum & satietas. *Laym. d. l. n. 9. Azor. lib. 7. c. 8. q. 7.*

4 III. Requisitum est, observare tempus refectionis, & hoc olim erat vespertinum tantum, prandio in cœnam mutato. *c. solent. de consec. dist. 1. c. post pascha. dist. 76.* sed & hîc consuetudo tempus meridianum substituit, illudque notabiliter v. g. per unam alteramve horam comedendo anticipare ex causa nullum, sine causa ad summum venialis culpa est. *Rich. in 4. dist. 15. art. 3. q. 8. Laym. d. l. n. 11.*

5 Causæ excusantes à jejuniis sunt, I. juvenilis ætas, nam ante 21. ætatis annum completum non est jejunandi obligatio, eò quòd tunc corpus adolescens majori indigeat nutrimento. II. Ætas senilis juxta dispositionem corporis & virium arbitrio prudentis viri taxandam. III. Infirmas

mitas vel debilitas corporis. IV. Labor, occupatio & defatigatio corporalis, uti est in mechanicis, itinerantibus, infirmis &c. in conjugatis etiam ex continentia vel abstinentia periculum animæ aut corporis passuris.

Istæ causæ ad sumendam alteram largiorem refectioem in eibis jejunalibus ordinariè cuiusque conscientia relinquuntur, sed ad comedendas carnes declaratio vel dispensatio Episcopi, aut eo longius distante, proprii parochi accedere debet, ne si res cujuslibet privato arbitrio committatur, nimis quisque partialis in propria causa iudex sit, & paulatim abstinentia quadragesimalis vitia comprimens, mentem elevans, Deum placans & promerens, Christi Domini exemplo auspiciata, Ecclesiæ continuo usu & SS. Patrum doctrina confirmata è medio tollatur.

Sanè quòd hæretici jejunium & jejuniij meritum fastidiunt, contempnunt, ex hoc ipso fidem suam de fallitate suspectam imò & convictam faciunt, & se tantum carnalibus desiderijs & delicijs immerfos ostendunt, quot enim in veteri & nova lege jejuniij exempla. *Exod. 24. 34. Deut. 9. Joël. 2. Matth. 4. 3. 6. 17. Marc. 2. ad Roman. 13. 1. ad Corinth. 7. 2. ad Cor. 6. Ephes. 5. Tess. 5. Tit. 2. Act. 13. 22.* Quomodo gloriantur se Biblicos & Evangelicos, si omnia illa consilia Evangelica, quæ in mortificationem corporis tendunt *1. Cor. 9. in fin. ad Coloss. 3. ad Gal. 5.* angue pejus abhorrent. certè si secundum

*dum carnem vixerimus moriemur, si autem spiritu facta carnis mortificaverimus vivemus. ad Rom. 8.* non sufficit exemplo diaboli *Matth. 5.* legere, scire, & allegare scripturas, nisi simul observemus. Non melius mihi imaginor hæreticos in *arcta via*, quam ex prædicatione Christi *Matth. 7.* tenet Ecclesia Catholica, quam indisciplinatos & dissolutos Monachos in aliqua sancta religione: & non immeritò, à similibus enim suam fidem didicerunt. Sed multi vocati pauci electi: Studeamus ergò *ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus. 2. Petr. 1.*

7 Præceptum de observatione Festorum est duplex, unum *negativum* alterum *affirmativum*; *Negativum* præceptum est, quod prohibet, ne die Festo opera *servilia* exerceantur; *Affirmativum*, ut omnes fideles usum rationis habentes infestis Missam audiant. *c. 1. de ser. c. omnes fideles, & c. Missas. dist. 1. de consecrat.*

Notanter dixi, ex præcepto *negativo* opera *servilia* esse prohibita, quamvis enim in veteri testamento *omne opus* in Sabbatho interdictum fuerit Judæis *Exod. 30. & Deutron. 5.* quia tamen illud præceptum partim fuit morale, partim ceremoniale (ceremoniale autem veteris testamenti per adventum Christi expiravit. *c. unico de purificat. post partum*) ideò per Ecclesiam ad sola opera *servilia* mitigatum, & restrictum fuit, *Laym. in Theol. moral. l. 4. tract. 7. c. 1. n. 1. & c. 2.*

8 n. 2. † Dicuntur autem opera *servilia*, quæ corporis

poris commoditatibus inserviunt, & per servos ac famulos exerceri solent, ut sunt opera rustica, & mechanica: écontra opera *liberalia* dicuntur illa, quæ sunt libero homine digna & magis ad excolendum vel oblectandum animum faciunt: atque hæc sub præceptum illud negativum non cadunt, tum quòd ipsum præceptum limitatur ad opera servilia, tum quòd sint ignobiliora, & minus dignè cum cultu DEI conjungantur. Unde licebit in die festo, studere, docere, scribere, musicam exercere, item recreationis causa pingere, venari, piscari, saltem si sine multis operis ac labore talis piscatio vel venatio fiat. *Navar. in Manual. c. 13. n. 11.* Mercatus autem seu nundinatio, quamvis non sit opus servile, tamen prohibetur in *c. 1. de ferijs.* sed consuetudine passim contrarium obtentum est, ut in certis festis præsertim in anniversario dedicationis Ecclesiæ nundinæ habeantur, quæ consuetudo ita moderanda erit, ut negotiationes non instituantur, antequam officium divinum in Ecclesia persolutum sit. Præterea iter facere pedibus, curru, equo, navi, nec opus servile, nec propriè liberale est, sed potius naturale & medium, quare & id in die festo licebit. plaustra verò aut jumenta mercibus onerare, & agere servile opus censetur, nec in die festo licebit inchoare, inchoatum autem continuare, si commodè abrumpi non possit, conceditur. *Declaratio Cardinal. quam refert Barb. de offic. Episcopi alleg. 105. n. 40.*

Ali

- 9 Aliquando tamen ex causa *pietatis* vel *necessitatis* licet etiam diebus festivis opera *servilia* peragere, *c. fin. de ferijs*. Ex causa *pietatis*; Si v. g. altaria ornanda, vel alia ad festivitatem paranda sint. Ex causa *necessitatis*; Si res ad vitam necessaria, vel tempore peritura sit, qua ratione excusantur pauperes, qui si in festis à labore abstineant se suamque familiam sustentare non possunt. Item agricolæ cum ob pluviam superventuram segetes, aut fœnum congregant, vel aliud grave damnum vitandum ruri laborant. Similiter si pauperes famuli & ancillæ diebus festivis suas vestes reficiant &c. est quandoque etiam *necessitas publica* v. g. reficiendi fontes, pontes, piscandi certum piscium genus, quod non nisi certis anni temporibus capitur, *juxta c. licet. de ferijs*, si paranda sint aliqua ad communem populi festivitatem v. g. in adventu Principis &c.
- 10 Sed non sufficit, ut causa *pietatis* aut *necessitatis* subsit, nisi insuper *consensus Episcopi* accedat, præsertim si opus *servile* in publico faciendum, & per longum tempus duraturum sit, ne paulatim prætextu *necessitatis* liberè contra festorum obligationem peccetur, *Declarat Card. apud Barb. d. n. 40.*

Sin autem periculum in mora sit, vel Episcopus propter distantiam commodè adiri non possit, solam justitiam causæ vel ad summum, si causa aliquo modo videatur dubia, licentiam Parochi sufficere, communis est sententia.

- 11 Cæterùm hîc advertendum est, quanvis in



*c. 1. de ferijs.* dicatur, quòd dies Dominica à vespere in vespeream cum omni veneratione observanda sit, nihilominus in Europa esse receptum, quòd festa quoad abstinentiam à servilibus operibus computentur à media nocte usque ad alteram mediam noctem, testatur Panor. *in c. 5. de ferijs.* Covar. *var. res. lib. 4. cap. 19. n. 9.* talem autem consuetudinem valere & attendendam esse, textus est in *c. 2. de ferijs.*

Alterum præceptum scilicet *affirmativum* de audienda missa tanquam humanum, & positivum, non obligat cum tanto rigore, ut nullo modo quis ab eo excusetur. etenim non tantum impotentia physica (qualis est in mari navigantium, incarceratorum, lecto affixorum, & similibus) sed etiam moralis, & arbitrio prudentis viri gravis, excusat ab audienda missa. Dicitur autem moralis impotentia, quando licet non subsit absoluta impossibilitas, subest tamen magna difficultas propter periculum amittendæ valetudinis, aut rei domesticæ, alteriusve damni spiritualis aut corporalis subeundi. Unde excusantur, qui infirmi sunt, aut infirmis serviunt, qui tempore pestis se domi continent, item matres & ancillæ quæ infantibus assistunt, qui propter distantiam templi domum periculosè deserunt &c. pudor quoque si gravis sit secundum communem sententiam ab audienda missa excusat: puta si mulier honesta cum dedecore sui status non honestè vestita sit, vel si aliqua bonæ existimationis, ex delicto prægnans appareat &c.

Con-

Consuetudo etiam quandoque excusat, si v.g. in aliquibus locis vidua vel puerpera per aliquod tempus templum ingredi non soleat, de quibus omnibus prolixè videri poterunt DD. antea cc.

Postremò huic capiti adscribenda duxi verba valdè notanda Concilij Trid. s. 25. in decret. de invoc. & venerat. Sanct. *Omnis superstitio, inquit Concil. in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione & imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quaestus eliminetur, omnis denique lascivias vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes, atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Hec ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, &c.*



PARS